

34.07.59

II f
1320

DE
 LIBERIS PARENTVM CVLPAM ACCVSANTIBVS
 DISSERIT,

AD
 RECOLENDAM MEMORIAM
 IOHANNIS GOTTLOB
 PLAZII,
 CITERIORIS LVSATIAE CANCELLARII,

DIE XIII. MAII, 1756. A II.

MAGNIFICVM VRBIS SENATVM,
 CETEROSQVE LAVDVM NOSTRARVM
 FAVTORES EGREGIOS,

SVMMA HVMANITATE, PARI OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,
 RECTOR.

BVDISSAE, EX OFFICINA SCHOLZIANA.



1-178

Est libellus nobilissimus, iungere Dresdensi Catechismo solent, de officiis ordinum Hierarchicorum, luculente ille scriptus ac breuiter, vbi omnia, quae parentibus debemus, ad vnam summam pietatis, obedientiae, atque obsequii referuntur: quam rationem et nos quidem, quoties ad eius generis praecipua reuertendum, tenemus omnino, sed tamen haecenus, vt eodem tempore, commemoremus tria vitia numero, pietati erga parentes longe inimicissima, a quibus tenere aetatis homines, summa cura ac diligentia, absterrendi esse videntur: quae cuiusmodi sint, faciendum hic existimo, vt planissime constet.

Igitur cum nuper admodum quaesitum fuerit de liberis redigentibus in ordinem parentes, itemque super causis disputatum, quare animum haud raro inducant, parentum mortem expectare; restat, vt huic tanquam operi fastigium imponamus, ac differamus similiter, quibus modis parentum accusare culpam audeant. Ac solenne sane est, noxiam a nobis auerti, eamque in alios transferri quamuis vacantes illos culpa. Sic, excerptimus locum ex Iuuenalis septima:

— — — — — *Culpa docentis*
Scilicet arguitur, quod leua in parte mamillae
Nil salit Arcadico iuueni.

Idem profecto saepe accidere videmus parentibus; quod quo iure fiat, quare iniuria, nunc deinceps paucis age explicemus more, institutoque nostro. Ac parentes quidem primo non sine causa, tamen non satis pie, accusabuntur, quorum culpa male sit liberis, et qui plus obfuerint, quam natis ex se vti que profuerint. Eius culpa maxime affines videntur, cum ipsi suos docent peccare, sui vel imitatione atque exemplo, vel adeo istum in modum, vt iis quasi fenestram patefaciant ad scelera, viamque demonstrent, qua ad nequitiem, immo vero perniciem, directo eatur: quod quam sit contra officium, et valde necessarium officium, non erit, opinor, qui expectet, dum pluribus demonstratus. Namque hoc modo deprauant, quos debent corrigere, malis opinionibus implent, quibus, par est, infillare optimas, denique conseruandos a se omni pacto atque mendos, perdunt funditus et in perpetuum. O domum infelicem, vbi viuatur ad istam formulam! O miseris, immo vero miserrimis, qui in eiusmodi educantur disciplina! Vix esse crediderim, qui honestissimo parentum nomine tam indignos homines sine ira atque indignatione adspicere, qui filios tam proditos a suis atque perditos, sine misericordia possit ac lacrimis intueri. Enimvero nil opus est, multa loqui de dolore alienorum, cum saepe vsu veniat, vt illi homuli sua mala ipsi nosse incipiant, atque intelligere, quales duces viuendi ac magistris domi habuerint, et quae fundamenta salutis tanquam in aqua posuerint. Quoties se, quoties, et aliquanto iustius accusant parentes, quorum culpa acciderit, vt euaderent, quales nec debuissent, nec vero nunc vellent euasisse. Neque ita solum taciti et in occulto mussitant, sed erumpunt multis temporibus stomachum in parentes, maxime, cum pretium ferunt ob suam stultitiam, ac vitiis suis iure plectuntur. Deinde vero solent etiam accusari parentes vel dediti illi luxuriae, vel cum fraude ac damno liberorum auari, studiosique pecuniae. Ac de admiratoribus diuitiarum, eo possumus esse breuiore, quo magis liquet, nihil ab iis, nisi aurum atque argentum amari, idque longissime anteferri ceteris rebus omnibus. Ne liberis quidem exceperis, in quos singularem quandam amorem natura nobis ingenerauit, et qui a plerisque tam cari habentur, vt se ipsos habeant cariores. Sed enim, inquis, nullam iniuriam ac fraudem suis facere videntur ad rem paulo atentiores, dum colligunt opes atque facultates, dum thesauros condunt, ab hereditibus post mortem depromendos, vtendos, fruendos. Ego vero vereor, vt fordidi hominis naturam plane introsperis. Quid enim? sibi quaerit numos, vt habeat, vt videat, vt manibus contrectet ac dinumeret, vt super acervis aureorum, si accidat, spatietur nudis pedibus, vt toto corpore, Caligulae exemplo, volutetur. Etenim si liberorum gratia velit esse diues, cur non liberorum gratia aliquid impendit? cur neglecti, squalidi, pannis obstri procedunt in publicum? cur non traduntur idoneo atque erudito praepetori, sed in Flauii ludum, referentes

rentes Idibus aera mittuntur? Ceteras indignitates ac contumelias silentio liceat prætermittere. Vt autem, quos narrauimus modo, parentes suos nolunt adiuuare, quantum possunt, ita altera ex parte inuenies, qui non possint, quantum velint fortasse. Nullosne recordaris, quibus placeat cuiusque modi persequi voluptates, flores spargere, atque viuere tanquam in quotidianis nuptiis? qui propterea ab usu rei familiaris, quæ tota luxuriæ ac libidini feruiat, immeritos liberos excludant? quanta flagrant ea de causa infamia! quam iure accusantur a liberis, quibus omnia fere, quæ ad instruendam, ornandamque vitam pertinent, denegare penitus coguntur. Pergimus hinc, quoniam oratio inuita versata istic est diutius, ad aliud genus parentum, culpandum itidem a liberis, ea peruicacia, vt sibi persuadeant, patriam potestatem nullis finibus circumscribi, ac licere in liberos, quicquid libuerit: quæ persona et in fabulis cum frequentissima, tum vero est stultissima. Ecce tibi patrem, qui filium nulla indole, nulla cupiditate litterarum, nullo præditum ingenio, deduxit ad Philosophos, cum ipse maluisset in opificum aliqua taberna discere: et ita sibi haud dubie melius consuluisset. Sed obsequendum patri erat: itidem matri non erat aduersandum, quæ cuperet Ascanium suum aliquando collario quadrato nitidum videre, et pro concione facere verba, quæ omnes admirarentur. At misellus homo pro magna mercede, et per tot annos, sapere didicit nihil: quod ipse posterius doluit vehementer, illamque cantilenam Martialis IX. 75. flebiliter repetiit:

*At me litterulas stulti docuere parentes,
Quid cum Grammaticis, Rhetoribusque mihi!
Frange leues calamos, et sconde, Thalia, libellos,
Si dare futuri calcus ista potest.*

Rursus autem nobis alius pater occurrit, qui virginem filiam teneram, musteam, moribus integerrimis, turpi atque exoleto viro destinauerat, fore sperans, vt illud odium senis mox eiceret domo, et paucis mensibus post in laudatissimam hereditatem vocaretur. Quid prodita ita puella? ac primo illa negabat, sibi conditionem placere: rectius se vquam mansuram: impetrari a se nullo modo posse; tandem victa vi, ac metu expugnata, vxor fiebat, et, quid extremum esset malorum in coniugio, quotidie experiebatur. Quam gratiam vero eo nomine patri habuerit, alii dicunt. Veniendum est nobis ad partem alteram, in qua placet audire liberos nullo iure, summa iniuria, querentes de parentibus. Queruntur autem maxime super euentis rerum, quas aut sibi suaserint, aut certe non disuasierint parentes, impederintque, quum ætate sapientiores essent, quibus auctoritate pollerent. Vt hoc vtamur, non raro casu accidit, vt puer sic exardesceret ad studium artis salutaris, vt nihil creparet, nihil dies noctesque cogitaret, nihil adeo nisi Medicinam somniaret: quem ardorem filii cum animaduertent parentes, minime esse subitum, non poterant non adolescentuli consilium approbare. Itaque factus est Medicus. Postquam autem sensit, domum suam minus frequentari, minus se ab ægrotis arcesse, ad curandosque morbos adhiberi, denique fieri nihil; contra regnare, florere, in honore esse circulatorios, eiusdemque note alios, cepit instituta rationis virum optimum pænitere, et, rebus desperatis illico, de euentu studiorum, quem totum fors moderata esset, cum parentibus conquiri. Ecquid autem commiserant, ac commeruerant parentes, cum fortunam non magis, quam ipse nouus Medicus, de se præstare vitæ potuissent? Haud multo aliter M. Antonius, de quo Cicero in Philippica II. 18. hæcce: *Tenerne memoria, prætextatum te decoxisse? patris, inquit, ista culpa est. Concedo: etenim est pietatis plena defensio.* Enimvero iniquissime omnium accusantur parentes, quorum sibi liberi credunt obstiisse tenuitatem atque ignobilitatem, ac quasi ad honores atque dignitates, iter occlusisse. Certe istorum *μεμνημένον*,

— — — — *si natura iuberet
A certis annis æuam remeare peractum,
Atque alios legere, ad fastum quoscumque parentes
Optaret sibi quisque,*

FK II 1320

vd 18

X 204 3837

id est, claros, diuites, potentes, factiosos, qui, quantum Lentruli, Appii Romæ, valerent, qui vel vnus digituli percussione Consulatus, ac Præturas, vel solo nutu prouincias darent filius. Nunc se iacere, frigere, miserimisque modis agere ætatem, quam beatissime splendidiore parentes nactis transfigere licuisset. Etsi vero istius modi querelæ, graues et iniuste sunt admodum, tamen tolerabiliores haud dubie esse videbuntur, quam importunitas et audacia nonnullorum, qui fictis causis iniuriæ, quemadmodum lupus Aesopius cum agno, cum suis parentibus expoſtulant. Fruſtra dixerint: vana, falſa, futilia eſſe, quæ ſibi obicerentur; ne quidem in mentem vnquam veniſſe; aliam atque aliam cauſam excogitabant liberi, ac tandem peruenient, quoad progredi potuerit irati hominis amentia. Quam peruerſitatem ſi quis ſit, qui ferendam arbitretur villo modo, neſcire me fateor: quid ferendum proſus in liberis eſſe neget. At enim moues labra: videris velle contra nonnihil, expromito: numquid peiores noſti, et qui etiam longius progrediantur? equidem video, eosque ſimillimos hominibus infulſis, quos Terentianus ille Mitio Adelphorum IIII. 3. exagitat:

*Niſi me in illo credidiſti eſſe hominum numero, qui ita putant
Sibi fieri iniuriam, quam fecere ipſi, vltro expoſtulant, et vltro accuſant.*

Recte mones! quam pæne peſſimos omnium præteriſſem! qui cum indigniſſime tractarint parentes, ac multiplices improbitate læſerint; tamen volunt nihil peccaſſe videri, ſed, quam iniuriam intulerint optimis parentibus, ab optimis parentibus accepſiſſe: addunt minas, ſe hinc vel militatum in vltimis regionibus terræ abituros, addunt atroces voces, ſuccenſentque materculis inprimis, quas ſciunt molliori ac tractabiliori ingenio natas, ab iis que æquum eſſe cenſent, fatiſ ſibi fieri, ſupplicari, animumque ſuum dulcibus alloquiſ, immo donis ac muneribus placari. Quos ego! ſed præſtat, omiſſis liberis parentum culpam accuſantibus ad rem amplam atque honeſtam conuerſi, in cuius admirationem nos hoc ipſum tempus quaſi rapit atque traducit. Quis enim tam hoſtes ac rerum tam rudis eſt in hac ciuitate, qui ignorare poſſit, inſtare diem, vt ſcholæ iucundiffimum, ita Plaziano nomini glorioliſſimum illum, quo beneficii a tanto Viro in noſtros collati, renouare memoriam pie ſoleamus, ac prædicare librorum copiam, quæ Cancellarii voluntati ac munificentie erga egregios diſcipulos debetur? Erunt hoc anno ſolennis pietatis interpretes, quos infra poſſuimus, diſciplinæ noſtræ alumni.

- Gottlob Auꝑuſtus Leisnig, Hoyersuerda Luſatus.
- Chriſtianus Auꝑuſtus Cubach, Zſchirma Luſatus.
- Carolus Godofredus Rauſſendorff, Budiffenſis.

Quod autem bonos poëtas ſciimus feciſſe, vt in extremo actu ac concluſione operis ſumma diligentia vterentur, et quaſi ſecum ipſi certarent, idem facturus eſt noſter Leisnigius, cum ventum ſit in ſchola vique ad plaudire, quo veteres comædiæ clauduntur, operamque daturus, vt in hac clauſula non ſolum Plazianæ memoriæ, ſed omnibus, quorum apud nos iudicij floruerit, gratiſſimi animi teſtificatione ſatiſfaciat, eximieque laudi, quam re bene, ac ſtrenue hic gerenda conſecutus eſt, veluti cumulam addat. Hominem multum bonum bonis votis atque ominibus, vt ſcholæ mos eſt, publico nomine proſequentur

- Iohannes Auꝑuſtus Chriſtianus Kunze, Budiffenſis.
- Erneſtus Gottlob Iancoiuſius, Budiffenſis.

Ceterum, vt in eodem, vnde exorſa eſt, oratio terminetur, iuuat Magnificum Senatam, et, quicumque inſtitutis noſtris faueant, magnopere rogare, velint duplicem hunc actum celebrare frequentia, ac perſuadere ſibi, nihil eſſe, quod maiori ſtudio rogare poſſimus.

P. P. Budiffæ, die XIII. Maii, c1o1oCCLXXXVI.

DE
LIBERIS PARENTVM CVLPAM ACCVSANTIBVS
DISSERIT,

AD
RECOLENDAM MEMORIAM
**IOHANNIS GOTTLOB
PLAZII,**

CITERIORIS LVSATIAE CANCELLARII,

DIE XIII. MAII, 1615CCLXXXVI. A II.

MAGNIFICVM VRBIS SENATVM,
CETEROSQVE LAVDVM NOSTRARVM
FAVTORES EGREGIOS,

SVMMA HVMANITATE, PARI OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,
RECTOR.

BVDISSAE, EX OFFICINA SCHOLZIANA.



1-178

